



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Protestatio seu testamentum quoddam, Christiano cuilibet iam iam
merituro, vel dictu vel cogitatu non inutile. Can. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

cordiarum tuarum multitudine quibus innitor, & quas inuoco, vt fragilitatem carnis meae, pusillanimitatem, ac instabilitatem spiritus mei tua virtute erigas, longanimitate confortes, ac patientia robores, vt nulla aduersitate aut tentatione victus succumbam, nulla pusillanimitate deficiam: sed amoris tui aestuantissimo absorptus incendio ad te solum suspirem, ad te sitienti corde anhelem, te solum cogitem, te solum desiderem, & mandum cum vniuersis quae in eo sunt relinquam, fastidiam & contemnam: tibi verò pro omnibus & laetis & tristibus ex toto corde gratias agam.

Amabilissime Iesu, te eligo, te opto, te desidero, tibi occurro, atque omni quod tu non es, abrenuntio: quicquid vis, volo: quicquid non vis, nolo: quicquid execraris, auerfor. Et si aliud huic voluntati contrarium mihi vnquam inciderit, rogo te Deus meus, non imputes mihi, neque secundum illam, sed secundum hanc animi mei electionem iudices me: Quia & omnibus quae nolle debeo, contradico: & si etiam (quod misericordia tua auertat) post hac victus consentirem, nunc tamen execror.

Amabilissime Iesu, si tibi placet & ad gloriam tuam fuerit, da mihi in hac vita à peccatis & poenis omnibus (in quae post mortem alioqui venire deberem, aut quibus obnoxius essem) praeseruari vt animam meam per manus misericordiae tuae immediatè de hac vita ad gaudia recipias sempiterna. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Protestatio seu testamentum quoddam, Christiano cui libet iam iam morituro, vel dictu vel cogitatu non inutile.

CANON XIX.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego N. infelix peccator, redemptus preciosissimo sanguine Domini nostri Iesu Christi idque per magnam ipsius erga me dilectionem, non meum meritum, fateor & agnosco publicè vel chirographo hoc, vel verbis meis, coram omnipotente Deo, coram omnium qui in caelo sunt exercitu, coramque vobis quotquot hic vt testes (si res exegerit) circumstatis, quod ego sum ac mori volo verè obediens sanctae Ecclesiae Catholicae filius, quem admodum sincerè Christianum decet: credoque & fateor generatim omnes & singulas partes seu articulos fidei Christianae, quibus credendis vnusquisque Christianus obnoxius est, praecipuè vniuersas particulas in duodecim articulis fidei Christianae, vel apertè expressas, vel rationabiliter inclusas, secundum quod à Spiritu sancto per duodecim Apostolos veritate Evangelica nobis traditi sunt. Adhuc credo & adhuc reo illorum interpretationibus sine declarationibus, non quorumuis aut quibusuis, sed ijs quae per sanctos patres & dicit à sanctissimis concilijs receptae, admittit, approbat, confirmatque sunt. Et vt breuiter dicam, credo quicquid verè Christianus credere debet. In hac tam inamobili tamque firma fide gaudeo ego ex toto corde mori, tenès ac offerès hanc scripturam in manibus meis, tanquam munusculum & inuisibilissimum aduersus oēs insultus, insidias ac fraudes diaboli scutum. Et si (quod Deus auertat, fieret vt ego impugnatione Diaboli aut violètia egritudinis quicquam aduersus praedicta cogitarè, loquerer, facerè, aut in aliquid perfidiae, dissidèis seu desperationis caderè, hoc qualecunque futurum esset, reuoco hic nunc in vestra omniù praesentia, tamque irritum facio quam facerem si compos mentis essem. Propter hoc appello vos omnes quicunque hic praesentes estis, etque sancte angele, cuiuscumque stodiæ ego traditus sum, vt huius protestationis coram omnipotente iudice testimo-

testimonium feratis. Quod vero in me est, ignosco & remitto omnes iniurias mihi quomodocunq; irrogatas id ipsum petens mihi fieri ab his, quos vel verbo, vel factis vnquam offendi, petoq; & ex toto corde desidero participes fieri omnium bonorum operum, quæ à sanctis hominibus per totam Ecclesiam vel facta sunt habitus, vel adhuc fiunt: præcipuè autem amarissimæ passionis & innocentissimæ mortis Domini nostri Iesu Christi. Et mea naturalis ac voluntaria mors, stet pro omnibus peccatis meis. Atque vrinam neque contra Deum, neque contra leges eius neque contra superiores, neque contra proximum aut meipsum peccassem vnquã. Postremo gratias ago omnipotenti Deo pro omnibus beneficiis ipsius mihi exhibitis, commendoque corpus & animam in manus eius, & in amaritudinem passionis Domini nostri Iesu Christi, cui laus & honor & dignitas in perpetuum Amen.

Exercitium triplex pium, authenticum atque diuinitus reuelatum, quo eger, vbi à sensibus vsuque loquæ deficere incipit, à circumstantibus muniendus, Deoque commendandus erit.

CANON X^{II}.

EXERCITIUM I.

KYrieleyson, Christieleyson, Kyrieleyson. *Pater noster. Aue Maria. Et ne nos &c.*
Versus. Saluator mundi salua nos, qui per crucem tuam & sanguinem tuum redemisti nos: Auxiliare nobis, te deprecamur Deus noster.

Precatio.

Domine Iesu Christe per agoniam tuam sanctissimam & orationem, qua orasti pro nobis in monte Oliueti, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, obsecro te, vt multitudinem sudoris tui sanguinei, quem per timoris angustia copiosissimè pro nobis effudisti, offerre & obtendere digneris Deo Patri omnipotenti, contra multitudinem omnium peccatorum huius famuli tui N. & libera eum in hac hora mortis suæ ab omnibus pœnis & angustijs suis, quas pro peccatis suis timet se meruisse. Qui cum eodem Deo Patre & Spiritu sancto, viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

EXERCITIUM II.

KYrieleyson, Christieleyson, Kyrieleyson. *Pater noster. Aue Maria. Et ne nos &c.*
Versus. Sanctifica nos Domine signaculo sanctæ crucis, vt fiat nobis obstaculum contra sæua iacula omnium inimicorum nostrorum: Defende nos Domine per lignum sanctum, & per totum pretium iusti sanguinis tui quo nos redemisti.

Precatio.

Eccc

Damine